

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
SISTENS
DIIVDICATIONEM QVARVNDAM
OPINIONVM DE MODO ET RATIONE
QVIBVS MERCVRIVS LVEM
VENEREAM CVRAT

Q V A M
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O
C A R O L O A V G V S T O

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
P R O G R A D V D O C T O R I S
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

A. D. XXVIII. MAII MDCCCLXXXIV

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R
JOANNES HENRICVS KÖNIGSDÖRFFER
ALTENBVRGENSIS.

GENAE LITTERIS MAVKIANIS

No. 7
65.

DEPARTMENT OF ARTS
UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

Med. V. 65

²Be

JOHANNES HENRIKUS KÖNIGSÖRTER
ALTIORUM

1372 488 01

SANTISSIMO VIRO

ILLVSTRI CONSVLTISSIMO

CAROLO FRIDERICO

SCHVLTHES

CELSISSIMO COMITI DE SCHOENBURG REGIMINIS

SVPREMI ET RERVV SACRARVVM SENATVS

DIRECTORI ETC.

HAS STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

DICATAS

ET SE RESQVE SVAS COMMENDATAS

ESSE VOLVIT

TANTI NOMINIS

CULTOR OBSEQVIOSISSIMVS

JOANNES HENRICVS KÖNIGSDORFFER.



PROOEMIUM.

Inde a primis temporibus, quibus terruit humanum genus lues venerea, in excogitandis ad novum morbum tollendum remediis anxie medicorum cohors laboravit. Studio huic ipsa novi morbi natura et maligna indoles (pestem inde vocarunt) favere quodammodo potuit. Incognita igitur morbi et miasmatis conditione, analogice concludere inceperunt, sudore vel purgatione alvi contagium receptum eiicere studuerunt. At viam hoc in rerum statu eandem ac iure probandam non omnes ingressi sunt. Empiricorum enim agmen suam qualem-
A cunque

RIMITIAS

DATAS

1855MVA

KÖNIGSDORFFER

cunque methodum est secutum, et analogice concludendi consuetudo primum mercurii usum introduxisse videtur externum.

Seculo enim XIII. ad lepram et scabiem sanandam saepius adhibitus est a). Nonne ex analogia, quam sibi in novo malo fingebant, etiam mercurii usum efficacem credere non dubitaverint?

Non quidem improbabile hoc videtur, si veterum hac de re opiniones expiscamur, et habitum morbi externum contemplamur. Erat enim corpus pustulis foedis et saniem plorantibus deturpatum, hinc aegri apud GOLDASTUM et alios dicuntur *pustulati*, morbus ipse apud Germanos *die böfs Blattern*. Habebat etiam similitudinem quandam vel affinitatem cum lepra vel scabie; Id quod nomina, morbo venereo a primis turpissimae luis scriptoribus imposita, satis superque testantur. Nam inter alia *Scabies sancti Jobi* a REMACLO FUCHSIO, quem PERILL. GRUNER nuper recudi curavit b), *scabies indica* c) ab Hispanis potissimum dicebatur.

Verum

a) SERAP. c. 375. RHASES De Simplic. c. 24. EBENSINA P. II. tract. H. c. 47.

b) De morbo gallico scriptores medici et historici partim inediti, partim rari. Jenae 1793. 8. pag. 345. cf. etiam *Aphrodisiac*.

c) GRUNER loc. citat. pag. 6.

Verum mercurii in lue venerea operandi modum tot tantisque difficultatibus impediti veteres satis diiudicare non potuerunt, partim quia non satis perspectam habebant mali naturam, partim quia consistebant intra experientiam, qua edocti mercurium ceteris praestare noverant. Neque tamen istam quaestionem adeo neglexerunt, ut eam omnino abiicerent, immo vero disputarunt de eo, mercurius, an decoctum guaiaci potius sit, quaenam mercurii praeparationes plus valeant etc. Magis in eo sudarunt posteriores medici, maxime recentiores. Etiam me variae de modo et ratione operandi mercurii in morbo gallico opiniones potissimum occuparunt. Medici enim esse putavi remedii cuiuslibet vires non solum nosse, sed et virium edendarum perspicere modum.

Quae igitur in confutandis aut affirmandis medicorum hac de re sententiis adhibui ratiocinia, tibi nunc trado, benevole lector, ea tamen lege, ut a tirone in arte medica non ea, quae iure meritoque a veterano sunt postulanda, expectes. Audebo ergo, qua potero.

§. I.

Ut scopo nostro accuratius satisfacere queamus, placet enarrare primum principes opiniones de ratione,

A 2

qua

qua mercurius in lue venerea effectus proferre creditur, deinde, quibus argumentis probentur, quibus confutentur, sine ira et partium studio, denique nostram qualemcunque de iis sententiam edere, ut, quid et quomodo mihi res se habere videatur, recte pateat.

§. II.

Separo vero a vi hydrargyri luem sanandi eam, qua salivae fluxum producere valet, quia haec partim ad sanandum malum non necessaria est, partim hypothese a scopo nostro alienam requirit. Difficile enim est hanc vim mercurii et lacertarum ita explicare, ut omnia phaenomena in lue obvia illustrari simul queant *d*). Quare illam a materia nostra aberrantem aliis viris me eruditioribus et maioris iudicii relinquo.

§. III.

Prima hypothesis de vi hydrargyri luem sanandi ea est, qua ponderis ope vim suam edere creditur, dum globulos sanguinis sua gravitate versus inferiora premat, dissipet, resolvat, et sic humorum excretionem promoveat, eodem modo salivae fluorem producat, et sic miasma e corpore ducat. Defendunt hanc opinionem prae

d) Mönch system. Lehrb. von den gebräuchl. einfach. und zusammenges. Arzneimitteln. Marb. 1792. 8. p. 192.

prae ceteris ASTRUC *e*) et alii, qui ab eius partibus stant, confutant GIRTANNER *f*), MÖNCH *g*), J. HUNTER *h*), FRITZE *i*) et alii.

§. IV.

Liceat mihi, pace quorundam huius sententiae fautorum, in illam paullo accuratius inquirere. Si pondere suo mercurius operatur, sequitur, ut conatu naturali versus inferiora descendat. Quod si verum est, quaeritur, quomodo possit in superioribus partibus vires suas exferere, et salivationem producere. Aperte hoc nunquam poterit explicari.

§. V.

Viri clarissimi bene etiam monuerunt, quod, si sententia de ratione mercurii vi ponderis vera esset, inde sequeretur, alias substantias metallicas mercurium pondere superantes, v. c. aurum et platinam, mercurio longe efficaciores in malo venereo esse debere. Id quod contra experientiam plane militat. Nullius enim effectus aurum et platinam in lue esse observatur.

A 3

§. VI.

- e*) De morb. vener. libr. IX. Paris. 1740. 4.
f) *Abhandl. üb. die vener. Krankh.* Götting. 1788. 1. B. pag. 328.
g) L. c.
h) *Abhandl. üb. die vener. Krankh.* L. 1787. pag. 623.
i) *Handb. üb. die vener. Krankh.* Berl. 1790. 8. pag. 166.

§. VI.

Confutatur etiam haec opinio pluribus corpori humano detrimentis ex tali theoria oboriundis, quarum unius tantummodo mentionem fecisse sufficiat. Si pondere operatur mercurius, pondus eius auctum augebit vim, et quo maius pondus in praeparato mercuriali quodam est, eo maior et celerior illius effectus esse debet ad curandam luem veneream. Omnia igitur ad felicem luis curationem eo redeunt, ut maximum, quantum omnino fieri possit, hydrargyri pondus in corpus redigamus, si spe citius morbum tollere velimus. Sed haec quidem veritati penitus repugnant. Exigua enim hydrargyri copia, in altero mercuriali praeparato contenta, maiores effectus edit in curando malo, quam alterum, quod maiori copia praeditum esse solet. In censum huc veniunt mercurius sublimatus corrosivus, mercurius solubilis HAHNEMANNI et mixtura gummosa PLENCKII.

§. VII.

Putant alii vim mercurii in evacuationibus, salivae fluxu, sudore, diarrhoea rel. quas non nunquam procreat, sitam esse. Si vera esset haec hypothesis, haud exiguum omnino pondus in curatione luis adiuvanda et acceleranda habere posset. At experientia iterum

rum affirmantibus resistit. Sed audiamus etiam alteram partem.

§. VIII.

Quae ad probandam hypothesein proferuntur, haec sunt:

- I) Luis curatio eo melius et citius absolvitur, quo crebriores medicinis mercurialibus evacuationes produci possunt.
- II) Analogice concludere possumus a virtute aliorum medicamentorum, quae lue medentur, v. c. Gummi Guaiaci, lacertae agilis, specierum lignorum, decocti lusitanici etc. His enim quum sudor, diaphoresis, salivae fluxus aut alia evacuatio perficitur, cito et secure luem tollere possumus.

§. IX.

Haec omnia, ut mihi videtur, sequentibus confutantur.

- I) Salivae fluxus mercurio productus luem non sanat, quid? quod reddit deteriorem. Cui enim ignotum esse potest, salivae fluxu pluries producto, luem saepissime nullo modo curari potuisse, contra insanabilia mala post se reliquisse?
- II) Si sponte sine hydrargyri usu oriuntur in lue venerea evacuationes, v. c. sudor aut diarrhoea, appa-

apparent eius quidem symptomata, sed ipsa levior ideo non evadit, nullo modo mutatur, nisi in peius ruat.

III) Sunt quaedam praeparata mercurialia huius indolis, ut, si evacuationes producant, lui aut nullo modo, aut paullo difficilius medeantur. Merito huc referuntur mercurius nitrosus *SELLII*, Unguentum *CYRILLI* et mercurius sublimatus corrosivus, citius profert effectus salutare, si in eius usu a medicamentis alvum ducentibus abstinemus.

IV) Nullo modo quidem negandum est dari varia alia medicamenta praeter mercurialia, quibus luem sanare possumus, et quasdam producere evacuationes, v. c. diaphoresin. Equis vero probavit hisce viribus solis luem vere sanari? Si medicamentum quoddam vi multiplici praeditum, resolvente puta, diuretica, diaphoretica rel. et adhibitum in intermittente a viscerum obstructionibus orta febre morbum ipsum tollit, nemo medicorum viribus diureticis aut diaphoreticis effectum tribuet, licet istae vires in aliis sic dictis antifebrilibus etiam adsint.

Vires principes medicamenti a secundariis, quo morbum delevinus, accurate distinguamus necesse est.

Vires mercurii ad evacuationes promovendas sunt secundariae, primariae continentur quadam singulari indole, sed nondum satis cognita.

V) Si verum esset mercurium evacuando operari, iterum quaeritur, cur reliqua remedia evacuantia secundos in lue effectus edere recusant, cur morbum non tollunt? Varia enim antylissa omnes easdem, quas mercurius gignit, evacuationes, sine luis feliciori eventu, sine eius proferunt curatione. Mercurii igitur virtuti evacuanti veneni venerei extinctio nullo modo est tribuenda.

§. X.

Multi reperiuntur, qui omnes mercurii effectus in lue salutare a vi irritandi derivare studeant, sed ratione, modo, loco et scopo eiusmodi irritationis a se ipsis maxime differunt. Hinc separatim eorum sententiae erunt enarrandae.

A) JOHN HUNTER h) scribit mercurium ita operari irritatione, ut irritando irritationem solvat, maior nempe minorem, secundum auctoris nostri coniecturam. Id quod praeterea experimento, quo adhibita electricitas suam ad curationem contulerit symbolam, probari posse putat.

h) l. c. pag. 624.

putat. Quod vero de vi ignis aut fulminis electrici in Hunteriana observatione legimus, sibi quilibet accuratior huius doctrinae cognitione praeditus facile explicare poterit. Etsi, quos de irritante eius vi fingit effectus, mercurius praestaret omnes, lubet denuo quaerere, cur alia irritantia, cur ipsa electricitas non tollunt morbum gallicum?

§. XI.

B) Accedit ad HUNTERI hypothesin BERNHARDT MEYER l), specifico stimulo mercurium afficere vasa lymphatica ratus. Sed ipsius verba audiamus „Agit, „inquit, mercurius stimulando solida, excitando vim „vitalem, eodem igitur modo, ut reliqua pharmaca „ex stimulantium classe, et sub hac conditione consideratus nil prae reliquis stimulantibus proprii habet.“ Hactenus ille. Ex his facile colligitur Exper. MEYERO incumbere onus probandi et explicandi, cur reliqua stimulantia luen veneream non tollere possint similiter. Nam si est eadem agendi ratio, etiam idem effectus esse debet.

C) Restat Celeberr. GIRTANNERI sententia m). Irritando hydrargyrum operari non minus persuasus, contendit

l) Diss. inaug. med. chem. sistens quaedam meletemata super merc. in morb. vener. actione et usu. Marb. 1790. 8. pag. 40.

m) l. c. l. B. pag. 332.

tendit pulsus celeritatem usu mercurii augeri, vasa lymphatica irritari, et fluidam reddi lympham, ita, ut per poros cutaneos et glandulas salivales effluat, et sic miasma venereum e corpore simul cum lymphâ eiici oportere nos docuit.

§. XII.

Ex hac theoria, quam sibi finxit vir clarissimus, hæc fluere videntur,

- a) Salivæ fluxum et diaphoresin ad curandam lue necessariam esse. Id quod vero auctor noster ipse negat.
- b) Alia resolventia, quæ eidem scopo satis facerent, eandem ad morbi gallici curationem vim exferere debere ac posse. Id quod quotidiana experientia satis refutat.
- c) Morbos, in quibus lymphæ et sanguinis resolutio adest, qualis est febris putrida et scorbutus, si cum lue combinantur, malum melius aut saltem non deterius reddere debere. Cui vero experientia etiam contradicit. Morbi enim cum lue coniuncti putridi eam omnino reddunt deteriores.

§. XIII.

Quidam n) mercurium quadam affinitate chemica miasma venereum alterare, destruere, et novam

n) TURNBULL *Ursprung und Alter der Lustseuche* pag. 92. SWEDIA-
VER

ei naturam praebere sibi persuasum habent. E combinatione veneni venerei cum mercurio mixtio quaedam oritur humoribus corporis humani magis congrua. Vires veteris veneni, connubio cum mercurio peracto, plane immutatae sunt, ut hoc facto substantia quaedam generata videatur, quae neque vires miasmatis venerei, neque mercurii adhuc possidet.

§. XIV.

Ex opinionibus strictim et carptim recensitis hoc imprimis mihi placere equidem non nego, attamen puto eam esse tantummodo hypothesin probabilem. Liceat ergo proferre, quam ab adversariis ad confutandam theoriam scripta leguntur.

I) Si in ulcusculis venereis unguentum illinitur, nihil emolumenti inde ad curationem profluit. Verum hoc esse, salva sententia, concedo. Miasma enim ulcusculorum non sedet in cute, sed per vasa resorbentia ad secundas vias a parte affecta delatum est. Inde facile patet, non solum ad externum, sed etiam ad internum esse confugiendum mercurii usum.

II) Si
 NER praktische Beobacht. üb. eingewurz. vener. Zufälle. Wien
 1786. 8. p. 179.

II) Si affinitae sola operatur mercurius, praeparata quaevis mercurialia eundem effectum edere debent, quia in curatione eo solum modo omnia redeunt, ut mercurius cum humoribus misceatur, quae demuncunque forma aut quo modo id fieri possit.

Id vero non sequi, probatu facile est, Praeparatum enim mercuriale alterum altero maiorem cum miasmate affinitatem habere potest, ita, ut difficilius aut facilius connubium veneni venerei cum mercurio obtineatur, secundum diversam praeparati mercurialis indolem.

III) Ex sententia ista certissimum esset remedium prophylacticum contra infectionem mercurius, si statim, coitu finito, genitalia eo inungerentur.

Sed probabile videtur miasmatis partem in ipso coitu reforberi, quae inunctione corrigi vel tolli nequit. Deinde etiam arctum connubium mercurii cum miasmate venereo requiritur, ita, ut humoribus rite misceatur. Id quod solis inunctionibus perfici non potest, dum nempe nondum eo penetraverit miasma venereum.

IV) Miscuit quidem A. HARRISON pus ex ulceribus venereis sumtum cum solutione PLENCKII mercuriali,

ali, et eius ministerio frustra tentavit infitionem
 luis aut ulcusculorum. Sed nihil hoc periculum
 probat, quum mucilago efficaciam veneni venerei
 impediverit, involverit, et acrimoniam eius mu-
 tarit. Licet et hoc facile refutari posset, salva ta-
 men opinione nostra, aliis argumentis praeter
 iam nominata permoti huic ipsi experimento non
 summam fidem possumus tribuere. Num forte par-
 tes volatiles puris remotae, pus frigidum, ex aere
 immutatum, experimentum fallax reddiderint,
 non liquet. Sed haec sufficient. Breves instituti
 limites et temporis angustiae, quibus ob praxin
 circumscribor, ulteriorem huius rei explicationem
 haud permittunt. Cetera usus dabit.

T H E S E S

- I. Clysmata e fumo herbae nicotianae aliis irritantibus palmam non eripiunt.
- II. Ante mercurii vsum internum primae viae purgari debent.
- III. Ad purgandum aerem in aegrotorum cubiculis non candenti fornaci, sed pavimento aut chartae emporeticae acetum vini est inspergendum.
- IV. Non quaevis blennorrhagia venerea mercurii interno usu sanari debet. Plus enim interdum nocet, quum prodest.
- V. Nemini, quam medico licitum est, non pharmacopaeo aut empirico, praescribere vomitoria.
- VI. Non existunt venena strictissime sic dicta.
- VII. A defectu impuratum in lingua ad absentiam earum in ventriculo non valet consequentia.

VIII.

VIII. Emeticorum operatio stimulo quodam specifico,
non quovis alio perficitur.

IX. Foetus in utero lue venerea laborare nequit.

X. Variolarum infectionem, praesentibus naturalibus,
non tuto instituere possumus.

XI. Terra ponderosa salita egregium est remedium in
morbis cutaneis.

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007



Centimetres

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

